

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Exterminatione Mali, Et Promotioне boni - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1613

De præmio quod ratione Castitatis habet Catholica Ecclesia. Cap. 13.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](#)

superatis gentibus trophya referabant, & omnis dignitatis gradus, eis de viā cedere solitus sit, nec mirū hoc de hominibus, cum Mineruam quoque, & Diana, virgines deas fixerat error gentilium, & inter duodecim signa cœli, quibus mundum volvi putat, virginem collocarint magnā iniuriā nuptiarum, vt ne inter Scorpios quidem, & Centauros, & Cancri, & Pisces, & Egoerotes vxorem maritumque contruerint. Hec Hieronymus paucis omisit. Non potuit profecto delusa gentilitas, licet in hoc sapiens exstinxanda amplius castitatem honore prosequi, quam ut virgines triumphatori præponeret; damnatum ad mortem, ob virginis occursum libaret; virginitatēque quasi diuinarum sedium affixicem, & cœli habitatticem duceret.

Nec solum Romanis, verū & barbaris gentibus fuit in magno pretio, & honore virginitas. Cuius rei (vt vetera omittam) nouam & illustrem propinan historiam. Nobilissimum est in hac Americā regnum Chilense, licet bellicosorum incolarum robore, & (ut verius loquar) iudicij diuini severitate, à nostris non satis edomitum. Huius fuit vrbis vna, nomine Osornus, ab indigenis cum nostris bellum gerentibus populata. Viris ergo ac mulieribus Hispanis se se in quoddam propugnaculum recipientibus, Virgines quædam sanctimoniales Diuīa Clara in eādem vrbe commorantes in eo propugnaculo vita tuenda causa receptæ sunt. Cū autem incredibili fame premerentur, vna eārū, cuius nomen scire non potui, sola extra munitionem egressa, vt herbas ad cibum colligeret, à barbaris capta, & in potestatem cuiusdam illorum tradita est. Hic acceptam virginem eam vxorem ducere (plures enim illi vxores habent) & violare disposuit. Nam & alij barbari plurimas feminas Hispanicas hoc extremo bello capras, ò Hispaniæ dedecus! uxores duxerunt, & ex eis filios suscepserunt, & à patriis viuendi motibus auocarunt. Sanctimonialis ergo illa cū heri sui animum ex signis & verbis agnolceret, robur virile induens, in hunc fere modum illum est alloqua: Ego virgo sum vna ex sponsis Iesu Christi, illi in cœnobio consecrata, quod & habitus, quem gesto, & hic annulus, quem dígito defero, mea, cum Christo dispensationis insigne, aperte demonstrant. Non licet mihi carnis delicias experiri, nec viro nubere, ac per hoc sponso meo filio Dei iniuriam irrogare. Si vero tu me constuprare volueris, vide ne aduersum te indignationem summi Dei prouoces, & ausu temerario pro nouā vxore mortem merceris. Barbarus, his auditus, obstupuit, & virginitatem, & filij Dei sacrum connubium, quod numquam audierat, admiratus, pulchram feminam, & omni ope humana destitutam, at diuinā virtute protegam, attingere noluit. Quid dico attingere noluit? Certè tantā eam est veneratione prosecutus, ac si numen aliquod cœlestis oculis vidisset, ac si sponsa Dei (vt illa vere erat) de hospitio commodasset. Quin & pollicitus est numquam se illi iniuriam illaturum, neque à quoquam infesti permissum. Adiecitque interrogare quid illi opus esset, vt diuino cultui, quantum illa captiuitas ferre, deesse non posset. Tunc illa animosior facta, rogauit illum vt sibi scapulare aliquod, & breuiarium ad horas canonicas recitandas quereret. Illęque ancillæ sua obediens abiit, & inter spolia Christianorum ab aliis barbaris asseruata, ram insigne illud monachæ, quam breuiarium inueniens, attulit, illęque dedit. Hortabatur illam subinde vt sponsi sui obsequio vacaret, vt propria status sui præstaret, vt Deo suo illius salutem commendaret, & vt nihil omnino, quod ad ministeria

A domus pertineret, attingeret. Si vero aliquando illa vxoribus, aut ancillis barbari se admicere tentaret, vt cibos pararet, aut pannos elueret, aut quid simile faceret, ille penitus non ferebat, sed & blandè illam increpabat, dicens non decere sponfam Christi talibus ministeriis occupari, potius cunctos debere illi tamquam dominæ, & heræ seruire. Monials hæc toto anno, & eo amplius apud infidelem illum comiter hospitata permanuit, donec precum & gemitum eiusmiseritus Dominus, sic eam è captivitate liberare dispositus. Animo barbari hanc cogitationem iniecit, indignum esse illum, qui virginem, ac Christi seruam, domui suæ hospitem haberet, ac omnino Christianis esse restituendam. Cū autem hinc istis cogitationibus premeretur, illinc vero timeret mortem sibi ab aliis barbaris inferendam, si fæminam illam sponte fineret ad propria remeare, quid facit? Domus sua quasi aliquid in agro facturus egreditur, & occulte ad munitiunculam militum Christianorum, que non longe aberat, proficitur illis suasurus, vt ad virginem illam quærendam exeat, & versus domum suam vadant, & ipso permittente, nulloque modo contradicente, se cum deferant. Antequam ad propugnaculum veniret, aliquos milites obvios habuit, quibus confituum suum pandit, & opportunatatem rapiendo virginem, ac domus suæ locum ostendit. Cū autem ex condicione milites illi die signato in domum illius barbari pergerent, qui more Chilenum non in vrbe aliquā (quas illi non habent) sed in monte ab aliis nonnulli separatus habitatbat, ipse quasi hostes fugiens cum vxoribus, & filiis, ac seruis, festinante discensit, & virginem illam à militibus inueniendam, & deducendam dimisit. Sic illa ob honorem castitatis liberata est, & quodammodo simul cum virginitate à Domino secunditate donata. Nam barbarus ille postea decretuit virgini se vt seruum trahere, & illam sequi, eiusque fidem suscipere. Defiderium autem hoc opus sequutum est: illum namque ad fidem conuersum, & fidei, ac vita tuenda causâ à suā patriâ exulem factum, multi in vrbe sancti Iacobi Chilensis, & postea in hac curia regni Peruensi viderunt, à quibus rei gestæ rationem acceperit.

B Est ergo castitatis præmium delatus honor, & habita reverentia illius, qui hanc virtutem ex animo profitentur, quam non solum fide illuminati exhibent, sed & luce supernaturali destituti & barbari similes bestiæ, non negant. Tanta enim est dignitas castitatis, vt ab infidelibus honoretur; tanta pulchritudo, vt à barbaris etiam in magno precio habeatur.

De Præmio, quod ratione Castitatis habet Catholica Ecclesia.

CAPVT XIII.

 ONSIDERATE lilia agri, ait Dominus, quomodo crescunt: non laborant, neque ment.] Hac verba secundum tropologiam de animabus castis possunt intelligi, quæ meritò cum liliis agri possunt conferri. Sicut enim lilia agri colore candidissima, & odore suauissima, non manu

Matt. 6.
28.

*Bonau. in
dicta sal.
tit. 2. 6. 4.*

manu hominum consita sunt, ut flores hortenses, sed Dei solius beneficio creata: ita castas animas puritate candidas, & bona fama odoriferas, non industria humana facit, sed gratia diuina producit. Lignum, ut Bonaventura annotavit, habet sex folia novae cando ris, & sex grana aurei coloris, quibus sex propria pudicitia corporis, & sex alia mundiciae mentis, indicantur. Corpus enim, ut sit pudicum, requirit eibi parcitatem, vestis asperitatem, laboris strenuitatem, sensum custodiam, verborum modestiam, & occasionum fugam. Mens vero, ut munda sit, Deum prudenter, dulciter, & fortiter diligit, & toto corde, quia creator est; & tota anima, quia redemptor; & tota mente, quia remunerator, inquirat. Videamus ergo quomodo crescant hac lilia agri Ecclesiae mundissima, & quoniam pacto multiplicentur ista gemma pretiosissima, & aliud admirable preium castitati destinatum reperiemus. Viventia omnia corruptibilia generatione multiplicantur, & speciem suam nonnulla corruptione sui à corruptione custodiunt: cœlibes vero licet corpore sint corruptioni obnoxii, quia tamen castitatem angelorum naturam gestum imitari, absque vilo integratatis detimento se ipsos multiplicant, & ab omni sui status iperteru feruant. Nam Deus auxilio gratie suæ in omni æate plurimos trahit, qui virginum & castorum se certibus iungunt. Quare diuina inspiratio est pro semine; assensus hominis, diuino instinctui consentientis pro conceptu; obedientia, quæ instinctui paret, pro partu; perseverantia, pro partu augmento, quo cœlibes in viro perfectos adueniunt. Estque in illis quædam similitudo nativitatis primi virginis Christi. Ut quemadmodum ille sine virili semine de spiritu sancto conceptus est, sic & hi in statu virginitatis, aut castitatis, & spiritu sancto nascantur, quia huius diuini spiritus instinctu ad castitatem allicuntur. Quamobrem de hac continentium multiplicatione mirabiliter optima intelligi potest illud Sapientia: O quam pulchra est casta generatio cum claritate!] Naturalis enim generatio ex pruritu carnis, & immoderantia concupiscentia, non parum habet fœditatis sive deoque te nebras diligit, & se ab oculis aspicientium abscondit. At procreatione pudicorum pulchra est, & splendoris plena, cum non ex factore libidinis, nec corruptione carnis, sed ex incorruptionis amore procedat.

*Sapien. 4.
1.*

Hæc igitur multiplicatio eorum qui castitatem corrupta natura satis difficilem profitentur, omnibus semper admirationi sunt. Unde Sabellius de Essenis loquens, qui etiam ante aduentum Domini castitatem coluerunt, eorum multitudinem admiratus, ait: Multis ætibus (incredibile dictu) gens æterna fuit, in qua nemo nascetur. Et Solinus Christi fidem nesciens, eandem gentem ob meritum castitatis mirificè laudat, & se fætorum multitudinem verbis exaggerat: Interiora, inquit, Iudeæ, quæ occidentem continxunt, Esseni tenent, qui prædicti memorabili disciplina, recesserant à ritu gentium vniuersarum, maiestatis, ut reor, prouidentia ad hunc morem definiati. Nullæ ibi feminæ; venere se penitus abdicarunt; pecuniam nesciunt; palmis vicitant; nemo ibi nascitur; nec tamen deficit hominum multitudo. Locis ipse addicctus pudicitia est, ad quem, plurimi licet vndeque gentium properent, nullus admittitur, nisi quem castitatis fides, & innocentia meritum prosequatur. Nam qui reus est, vel leuis culpæ, quamvis summa ope adipisci ingressum velit, diuinus summo vetur. Ita per im mensum spatium sæculorum (incredibile dictu)

*Sabel. lib.
5. c. 6.*

*Solin. in
Polyhist.
c. 48.*

A æterna gens est, cessantibus puerperis. Hæc ille.] Si autem hæc de Essenis dicuntur, qui non multi admodum erant, quæ dici possunt de multitidine virginum, & continentium Christianorum? Profectò tot numero sunt, & fuerunt in lege gratia, ut nullo modo crederemus, nisi partim historiæ verissimæ, & quibus ob dignitatem scriptorum assensus negari non possit, fidem facerent; partim in prætentib[us] sæculis, ipsi ocu li vniuersorum aspicerent. Innumerabiles virgines, immo & virginum myriades sponsam Christi Ecclesiam condecorant, nullo numero comprehensa virorum continentium multitudines in solitudinibus vinentium eandem exornant. Copiosissimus exercitus militum Christi, cum Ecclesiasticorum, tum religiosorum, in mediis populis, & in mediis occasionibus lasciuia (Deum testor) castitatem fideliter seruant. Quorum multitanta puritate conspicui sunt, & tam incredibilem tranquillitatem in hac parte possident, ut non homines inter homines, sed angeli inter spiritus celestes esse videantur. Quid quod hic status castitatis plures, quibus multiplicaretur, & creceret, ex ipso coniugio non iam per mortem alterius comparis soluto, sed adhuc manente, & vigorem habente, proripuit? Gloriatur enim Ecclesia se habuisse, & habere adhuc (sed præsens sæculum omittamus, & quod scimus nunc agi, taceamus) multos clarissimos viros, & pulcherrimas feminas, etiam principes, ac reginas, in magnis deliciis educatas; quorum illi, coniuges suas non magis quam forores, agnouerunt; istæ vero numquam se viris suis carnis tactu copularunt. Quid quod non paucorum accessione crevit, qui ne polluerentur, mortem aut ab hostiis illatam, aut a natura coniugium cupiente allatam oppeterunt, & ut mures Armenici, maluerunt mori, quam fœdari? Ob castitatis enim custodiam ab ethniciis occise sunt Agatha, Lucia, Cæcilia, Margarita Antiochenæ, Barbara, Agnes, Dorothea, Euphemia, Iuliana, Dula, Sustanna, Basilia, Anastasia, Faecula, Victoria, Valeria, Vriska, & Socia, & multæ aliae. Ob eiusdem etiam retinendam puritatem, ægritudini sua per coniugium consulere noluerunt Iacobus Cardinalis Portugalæ Princeps; Robertus etiam Cardinals ex illustri familia Nobilium, Casimirus Casimiri regis Poloniae filius, & Michaël Verinus Hispaniæ nostræ clara progenies, mortemque parentissime sustentarunt. Quis ergo ita virgines multitudine auger, ita castos numero sine numero multiplicat nisi Deus? Hanc mirabilem accessionem in præmium puritatis continentibus tribuens, & eos tanta gloria sibi admodum gratos ostendens: In lege veteri multitudo filiorum præmium virtutis extitit. Nam in Deuteronomio scriptum est: Si audieris vocem Domini Dei tui, abundate te faciet Dominus omnibus bonis, fructu vteri tui, & fructu iumentorum tuorum.] Præmium ergo Castitatis videtur esse hæc, lupia quam dei possit, virginum multiplicatio, & continentium accessio.

Aliud autem est in hoc præmio mirabilius, quod non semel cum magna cordis exaltatione contemplati sumus. Illud autem est, quod tota Ecclesia (faciente Domino) & omnes statu fidelium ob castitatem numero crescent, & unde debuerunt minui, inde videamus augeri. Quis non crederet, nationem aliquam, in qua tam multi homines perpetuo abstinent à mulieribus, & tam innumere formæ fugiant penitus confortia virotum, non

*Vide Bo-
zum.
10.1.lib.
11. Signo.
48.c.6.*

*Deuter.
2.8.20.*

esse numero exiguum, & vix homines sufficientes ad sui conseruationem comprehendere. At contra in Ecclesia euenit, quæ tam innumeratos viriusque sexus homines habens, virginitatem aut continentiam profitentes, omnibus est genibus alterius cuiusque sectæ maior, & multitudine mulierum ac virorum copiosior. Sed nos à capite Ecclesia or- dianur.

Certe Christo Domino Saluatori nostro, & ipsi virginis, ac omnium virginum Principi promissum à Patre est, ut innumerabiles filios habiturus es- set. Id enim aperte significant illa verba dicta Abrahæ: In te benedicentur omnes cognati- tiones terræ.] Et rursus: Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas coli, & vel- vt arenam, qua est in littore maris:] Et ad la- cob nepotem eius dictum est: Erit semen tuum quasi puluis terra: dilataberis ad orientem, & occidente, septentrionem, & meridiem. Quod enim est hoc semen, cui ita benedit Dominus? Doceat nos Paulus: Abrahæ, inquit, dicta sunt promissiones, & semini eius:] Non dicit; & fe- minibus, quasi in multis, sed quasi in uno, & semini tuo, qui est Christus. Huius ergo virgi- nis, & sancti feminis filii tot sunt numero, ut propter immensam multitudinem, sicut arena, & si- cut terræ puluis esse dicantur, & propter sanctitatis pulchritudinem stellis coli compararentur. Domini quoque fecunditatem expressit Daniel, dum ait se vidisse illum quasi lapillum abeissimum sine manibus, qui continebat statuam, & factus est mons magnus, & impletus vniuersam terram.] Et Habacuc, cuius hoc est carmen: Operuit celos gloria eius, & laudis eius plena est terra.] Cùm, iquam Dominus ad nos venit ab australi, sive a fini Patris, ubi semper est meridies, & à mon- te Pharan monte excelsø; hoc est, à sublimitate claritatis paternæ; tunc manifestatio nominis eius in homines vniuersos, qui ipsi crediderunt, effusa est. Vnde Ecclesia propagatio à puritate initium accepit, & non à corruptione, neque à nuptiarum carnalium celebratione prodidit.

Ipsa etiam Ecclesia virgo est integerrima, & im- maculata, cui etiam tamquam matre, & tamquam alteri principio filiorum scilicet fidelium, mul- titudo tribuitur. Vox Pauli est: Aemulor vos Dei simulatione. Despondi enim vos vni viro, vir- ginem castam exhibere Christo.] Zelotypus, inquit, sum erga vos, ardentissime vos diligo; ita vt amor meus non iam sit dicendus amor, sed zelus. His autem zelus non est vituperabilis, sed laude dignus, quia non pro gloria mea, sed commodis meis, sed pro gloria Christi hoc zelo succendor. Despon- savi enim non quemque vestrum seorsum, sed coniunctum omnes vos vnam Ecclesiam constitui- entes, ut quasi vnam virginem castam vos illi exhibeat, & eius sacro connubio perfruamini. Quo loco Anselmus ait: Omnis enim Ecclesia virgo est in mente. Virginitas enim mentis est integra fides, solida spes, sincera charitas. Ergo & Ecclesia imi- tans Dominum sui matrem, quoniam corpore non potuit, mente tamen & mater, & virgo est. Nullo itaque modo virginitatem matris suæ nascendo Christus admetit, qui Ecclesiam suam de fornicate- ne demonum redimendo virginem fecit. Nunc desponsata est Ecclesia, & virgo est, cùm se continet à corruptione seculari. Sed tunc nuptura est, quando sponsus eius in claritate veniet, & eam secum in regni thalamum perpetuò mansuram introducet. Sicille.] Ecclesia autem mente virgo, mente etiam,

A qua virgo est, innumerabiles filios viro suo Christo fine vila corruptione progenerat. Cui dicit Isaías: Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes illi congregati sunt, venerunt tibi: filii tui de longe ve- nient, & filia tua de latere surgent. Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilataribit cor tuum; quando conuersa fuerit ad te multitudine maris, fortudo gentium venerit tibi.] Huius etiam filii sunt illi, de quibus Ioannes in Apocalypsi inquit: Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum.] Ecclesia quippe non ex uno aliquo populo, aut ex una aliqua gente congregata est, sed ex omni gente, & omni natione coauit, & pertotum orbem diffusa Christo filios generare non cessat. Hec est illa sterili, cui etiam per Isaiam dictum est: Lauda sterili, quæ non paris: decanta laudem, & hinni, quæ non pariebas: quoniam multi filii deferta, magis quam cius, quæ habet virum.] Hanc enim sterili- lem esse Ecclesiam in lege gratia, manifestè Paulus ad Galatas ait. Qua[sterili] dicitur; [& non partens,] quoniam in lege scripta paucos pariebat filios, & nullos feret ex. Gentibus ad Dei veri cogni- tionem, & adorationem vocabat. Nunc vero ha- bens virum, non illum Mojen, quem habebat Syna- goga, sed Iesum Christum filium Dei, in immensum illi filiorum numerositate præcelit. Lætatur illa profecto, & landat Dominum propter hanc fibi datam fecunditatem, sicut vaticinatus est David: Ha- bitare, inquit, facit sterilem in domo, matrem filiorum latetantem.] Sterilis enim ista Ecclesia est, auto- torite Augustino, quam Dominus innumerabilium fi- liorum copiâ donavit. Qui, vt idem sanctus Doctor ait, semen Abraham, id est, prolem Ecclesie sele- ctam, sicut stellas colli sanctitate sublimi in supernis sedibus collocat, & sicut arena in ora maris, misericordem innumerâque multitudinem in sinistris fluctibus, atque amaritudine impia segregat. Eccle- sia ergo virgo ex sposo virgine integra manens, absque ullo numero filios generat, vt nunc eam re- pleant, & postmodum in celis coronam decoris, & fertur glorias recipient.

Quid nos hinc elicimus? Id quidem quod sicut fideles omnes ex Christo virgine, & parente optimo, & ex Ecclesia virgine, & matre honorabili prodi- runt; ita & nunc castitate & virginitate numero au- gentur, & crescunt. Eadem namque solent esse causæ productionis aliquid rei, & iuslē augmenti. Quare si puritas tot filios genuit, puritas etiam auxit, ac multiplicauit.

Sed quoniam modo castitas filios Ecclesie nu- mero auger, cùm potius oppositum colligi debere videatur, quia illi, qui continentiam colementes, filios non generant fideles futuros, Ecclesiam eo- rum numero priuant: Ita sane: quod Deus, vt ipsi continentis numero semper augeantur ad cultum suum, & vt mirabile præmium ex sua continentia conquerant, numero sine numero sanctam Eccle- siam in omni gente & atate multiplicar. Cùm enim Ecclesia præceptum coniugalis castitatis ex- cepit, vt scilicet quicunque fidelis vnam tantum vxorem, & quæque famina vnum tantum virum habe- ret, & cum consilium perpetua continentia ac vir- ginitatis audiuit, posset dicere, quomodo multiplicar. Quomodo me ab inimicis tuebor? In seculis & nationibus gentium vnu quilibet plures vxores du- cit; illatum rara est, quæ virgo fidelitatem custodiat: omnes, qui nuptias non celebrant, per illicitum con- cubitum

Genes. 12.
3.
Gen. 22.
17.

Gen. 28.
13.
Galat. 3.
16.

Dan. 2.
34.35.

Habacuc. 3.
3.

2.Corint.
11.2.

Anselm. b.

Isaia. 60.
45.

Apoc. 7.9

Isaia. 34.
1.

Galat. 4.
26.

Pf. III. 9.

Aug. 22.

cubitum filios generant; nullus est apud eos pudicitiae respectus, nulla castitatis memoria, nulla virginitatis notitia. Ergo a gentibus; numero & robore bellico vincari. Me igitur infideles & haereticos, non iam filij, sed hostes prostercent, me vorabunt, me de medio tollent, & Dei verius cultus, & notio peribit? Ne ergo aliquis haec temere apud se cogitet, haec dicit Dominus ad Ecclesiam: Noli timere, seru meus Iacob, catus omnium fidelium, & rectissime, quem elegi.] ad sequendam scilicet veritatem doctrinæ, & sanctitatem vitæ. [Effundam aquas baptismi super ficiem, & fluente spiritu sancti super aridam. Effundam, inquam, spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam. Et germinabunt inter herbas, quasi salices iuxta praterfluentes aquas.] Quia sancta Ecclesia filij, ut Gregorius scribit, inter herbas sicut salices germinant, dum inter aesculentem vitam carnalium hominum, & multiplici numerofitate, & perpetua mentis viriditate perdurant.]

I. Isa. 44. Iste dicit: Domini ego sum, & ille vocabit in nomine Iacob; & hic scriber manu sua: Domino, scilicet, me confero; & in nomine Israh assimilabitur:] id est, se Christo credere, Christumque imitari fatebitur. His promissionibus multitudo filiorum Ecclesie signatur, qui ad omnia florentissimæ reipublica necessaria peragenda sufficient. Eandem quoque multititudinem idem Propheta apertioribus verbis vaticinatus est, quibus Ecclesia sterilitatem praetendenti respondit. Inter alia namque sic ait: Adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis tua: Augustus est mihi locus, fac spacium mihi, ut habitem.] His autem auditis, [dices] tu, o Ecclesia, [in corde tuo: Quis genuit mihi istos? ego sterilis; & non pariens, transmigrata, & captiva; & istos quis enutravit? Ego destinata, & sola, & isti vi erant.] Auscultat, o Ecclesia, responsum. [Hæc dicit Dominus Deus: Ecce leuiabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum. Et afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas super humeros portabunt.] Promissio ista Dei impleta est, habetque Ecclesia, ut Bozzius docte probat, plures sectatores quam quilibet alia secta, aut falsa religio. Ac meritò ponit Ecclesia notam multitudinem sectatorum ipsius. Concluditque non sine magno fundamento quattam partem totius orbis esse Catholicorum, sextam tantum Mahometanorum, reliquias eorum, qui vel haereticos sunt, vel alterius superstitionis. Ecclesia ergo ob multitudinem continentum non deficit, sed potius multiplicatur, & crescit.

Idem autem, quod de totâ Ecclesiâ diximus, de quolibet Christianorum regno dicendum est, quod scilicet multitudo eorum, qui divino cultu se mantcipant, & Deo in religiosa vita se consecrant, nullo modo numerum necessarium ad florentissimam rem publicam constitutandam, & ad belligerenda admittit, sed potius eum mitum in modum auger. Idque manifestè sensit Gregorius ad Mauritium Imperatorem scribens, & eum ob legem latam, ne quis miles monachus fieret, reprehendens. Tunc, inquit, magis dominorum exercitus contra hostes crescit, quanto Dei exercitus ad orationem creuerit.] Sicut & Pius I I. Pontifex Maximus, cui, cum minister generalis fratrum Minorum triginta millia religiosorum iuuenient sui ordinis ad expugnandam terram sanctam offerret, quos sine iacturâ cultus diuini ac-

serebat ad bellum extrahi posse, prudentissimus Ecclesia Pater eos admittere noluit, sciens videlicet res Deo consecratas non debere ad yluis saeculares devolui, & animabus contineratam servari, Deoque in cenobis vacantibus, regna non languere, sed roborari. Sed hoc verisimum esse in nostro Hispanie regno videamus, & quod de illo dicemus, de quolibet alio Christiano regno, seruat proportione, affirmare possemus. Hispania igitur nostra copiosissimâ multitudine Ecclesiasticorum floret castitatem vountium, atque fervantium. Innumerabilia habet virorum ac femininarum cenobia, ac monasteria, quorum quodlibet multis religiosis repletur, castitati militantibus. Insuper abundant plurimis aliis qui in saeculo viventes coelibem vitam agunt, & corporis ac mentis castitatem custodiunt. An ob id paucos incolas habeat? An nomen Hispanie virilicis amisit? An minus quam infidelium regna secundum potentiam, & splendorem temporeum virer & floret? Nullo modo. Immo ipsa alii fidelium nationibus est admirationi, & infidelium regnis terrori, & toti Ecclesia est propagaculum munificissimum, fidei integratam protegens, & Pontificem Romanum caput Ecclesie defendens. Eius litteris haereses, & deliria infidelium confutantur, bona disciplina promouentur, eis opibus omnes nationes ditantur, & cum tantum argenti, & aurii quotannis effundat, numquam tamen thesauri eius exhauriuntur. Hanc gentem, in qua tot sunt coelibes, & continentes, terra illis data capacissima, & fertiliissima capere non potuit, & ideo aliquibus ex lemissis, Indiam Orientalem, & has partes Occidentales vastissimas, in quibus sunt regna Peruvianum, & Mexicanum, expugnauit, & oppleuruit. Adeo, ut de illâ decantari possit, quod de populo Domini à Davide decantatum est: Operuit montes umbra eius, & arbusta eius cedros Dei. Extendit palmites suos usque ad mare, & usque ad flumen propagines.] Ac de eius Principi, quod dixit Isaías: Dabit in conspectu eius gentes, & reges obtinebit: Dabit quasi puluerem gladio eius, sicut stipulam vento raptam arcu eius. Persequetur eos, transibit in pace.] Nec his contenta paucitatem non timens istis extremis annis (ut certa relatione accepimus) ferè quingenta millia hominum ex Mahometanis propagatorum, qui Christianam legem non sequabantur, & regno excidiū minitabantur, non occidit, ex pietate, ut posset, sed à se abiecit, & repulit. Hæc multitudo igitur Hispanorum, istæ diuinitæ, hæc gloria, (ut ego quidem opinor) præmium est in terra datum Hispanie ob humillimam subiectiōnem, Ecclesiæ Romanæ, & eius Pontifici custodiam, ob fidem diligentissimè seruatam, ob castitatem amata. Capiti Ecclesiæ ipsa se subdat, fidem ab omni labore, haereticos etiam exurendo, defendat, nefanda peccata igne puniat, castitatemque tantorum virorum, & femininarum Deo consecratam proutchat, atque custodiat, & ex hac parte excidiū non timeat. Timeat superbiam diuinarum comitum, timeat delicias, & superfluitatem ciborum, atque indumentorum, diuinarum partis: timeat iniurias neophytorum à Deo sibi ad doctrinam fidei seminandam, & ad tutam commissorum. Hæc metuat, & alia similia formideat, quæ solent regna subuertere. At de multitudine continentum gaudet, ob quorum puritatem à Deo diligitor, quorum numero, ut exer-

Psal. 79.
11.

I. Isa. 41.
2.

TTt
citu

ciru potentissimo defenditur, quorum orationibus
robatur.

Sed vnde sciemos, multitudinem gentis in re-
gno castitate crescere, & in praemium castitatis da-
ri? Illud quidem naturali ratione, istud vero non
leui coniectura colligitur. Certum est enim, apud
medicinæ peritos, effænam luxuriam libidinem, &
vagum concubitus generationem impedit. Ut
enim Petrus Gregorius Tolosanus vir satis doctus
ait: Non conuenient vagi, & illiciti concubitus
ad formandam rem publicam, sed contra maximè
noxi sunt, & auertunt generationem. Siquidem,
ut dicunt Medici, & Physici, ex frequenti coitu
fit lubrica vulna, & conceptio impedit. Et si
quando nascantur ex istis concubitis illicitis
quidam, existimandum est de tali commixtione
meretricum degeneres populos, & ignobiles, &
furentes libidine, ferè procreandos, & ad extre-
mum vniuersam plebem ad deteriora & ignobiliora
vergentem; & nouissimè nec in bello seculari
fortem, nec in fide stabilem, nec honorabilem
hominibus, nec Deo amabilem esse venturam. Sic
ille. Id etiam significant verba illa Iacob ad Ru-
ben filium suum: Effusus es sicut aqua, non cre-
reas.] Vel, ut Aquila vertit, teste Procopio: Non
eris abundantior. Id est, genus tuum minus mul-
tiplicabitur, quam tribus fratum tuorum: iuxta
illud, quod in Deuteronomio scriptum est: Viva
Ruben, & non moriatur, & sit parvus in numero.]

*Gen. 49.
4.*
*Deut. 33.
6.*

Quod isti contigit, luxuriosi impudicosque con-
tingit. Effundunt se, ut aqua, per luxuriam, at-
que carnis intemperantiam, & ideo parum nume-
ro mal ipllicantur, & crescunt. Gentes ad Septen-
trionem habitantes castiores sunt; mitum autem
est quam sint multitudine innumerabiles, quamque
in illis regionibus sit copiosus hominum numerus.
Gentes vero ad Austrum sunt salaciiores, & haec (vt
hoc aperte videamus) ad Septentrionalibus vincun-
tur numero. Neque obicias mihi polygamiam
antiquis Patribus in exordio mundi concessam, &
causam à doctribus datam, ut scilicet plures ex
pluribus quam ex una tantum uxore viro suscipi-
rent. Vnde Augustinus: Quare feminæ non ha-
beant amplius uno viro, vir autem plures feminas:
nisi quia plures habere feminas unum virum
pertinet ad prolis numerositatem: una autem femina
non quia plures habet viros, plures potest pare-
re filios.] Hoc, inquam, non obstat; quia aliud est,
animo casto, & prolis generandæ cauilla, ex permis-
sione Dei, ad significandum aliquid pluribus iungit;
aliud vero, ex ardore libidinis contra præceptum
Domini cum pluribus fornicari. Illud cum na-
tura erat vegeta, & robusta, multiplicationi pro-
fuit, hoc post natura imbecilitatem, qua senescen-
te mundo, ad senium vergit, aperte multiplicatio-
ni obest, & debita educationi; quia proles incerta
est minus amabilis, nec potest à patribus an sua sit
dubitantibus, vel alterius fornicarij, ita diligenter
educari. Et Dominus, qui ab initio hominum mul-
tiplicationem soluit, unum virum unum uxori iun-
xit. Atque, vt ait Isidorus, quod non unus, & mul-
ta, sed unus, & una copulantur, ipsa prima diuini-
tus facta coniunctio in exemplum est. In quod
exemplum? In hoc profecto, vt ad multiplicatio-
nem humani generis castitas coniugalis serueretur,
tanquam numero nascentium proficiens, non tan-
quam illum impediens. Et haec quidem de castitate
coniugali intelligenda sunt, quæ in debitam ge-
neris humani multiplicationem est ab auctore na-
ture instituta.

*Aug. li. de
confusione
Euangel.*

*Isidor. 2.
de officiis.
c. 19.*

A At quanam ratione hæc multiplicatio est praemium virginitatis ac perfectæ castitatis? Nam si omnes castæ & secundum leges matrimonij coniungentur, videtur futurum multo maius hominum Christianorum augmentum. Ad maiores hominum multitudinem non satis est si plures nascantur, sed si ex infantibus natis plures seruentur. Nam esto quod in una vrbe quotidie nascantur octoginta, & in alia septuaginta; si in illa moreretur medietas priusquam ad virilem ætatem peruererit, in ista ve-
ro solùm tercia pars, aut minùs quam tercia, planum est, quia ista illam interdum numero vincere, interdum æquare. In Ecclesia autem forte pauciores nascuntur, ex eo quod non omnes matrimonium inueniunt, immò plurimi castitatem custodiunt, ac plures ex infantibus à morte seruantur, ut ex his, quæ dicta sunt, manifestè colligatur. Neque enim poterat Ecclesia numero quamlibet altam festam falsam vincere, nisi in ea plures ex natis seruentur. Ergo Deus in ea, licet pauciores nascantur, plures seruat, & fauibus mortis eripit, ut hæc sponsa Dei ex dono castitatis in multis, non sentiat detrimentum fo-
cunditatis in aliis. Hoc vero fieri puto in praemium mundissimæ castitatis. Ut sicut Abraham filium à quo posteritatem sperabat, immolare disponens, & Deo præcipienti fidens, non est filii minoratus, sed auctus: ita Ecclesia multos in omni ætate virgines, & castos Deo offerens, & paucitatem non metuens, in praemium tantæ fiducia, & tantæ puritatis, filiis innumerabilibus repletur. Infidelibusque conuenit illud Domini per Oseam: Si enutriant filios suos, abique liberis eos faciam in hominibus: sed & va-
eis cùm recessero ab eis.] At Christo Ecclesiæ sponsa congruit illud elogium Ioseph Patriarchæ, quem in typum Salvatoris accepimus: Omnipotens be-
nedic tibi benedictionibus cæli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus vberum, & vulnus.] Nam & hæc de Christo esse in-
telligenda, manifestè Ambrosius protestatur, dicens,
vbera, quibus in nobis educatus, & auctus est, duo esse testamenta, è quorum doctrina fidem accepimus. Omnia, inquit, subiecit ei, cælestia sicut bene-
dictionem cæli, & terrena sicut benedictionem ter-
ra, ut & hominibus & Angelis dominaret. Itaque
in illo velut contemptibili corpore præualesti, in-
quit, propter benedictionem vberum, & vulnus. Be-
nedictiones patris tui, & maris vbera, duo testa-
menta dixit, quorum altero annunciatus est, altero
demonstratus. Et bene vbera, quoniam velut quo-
dam nos spirituali latè nutritos educavit, & obtulit
Deo filios. Sic ille.] Suscipienda igitur est à nobis, &
summis votis amplectenda castitatis virtus, cuius tam ingens est praemium, ut cultores suos in celo
magna gloria repleat, & in terra honoribus eximis
excipiat. Cuius tanta est felicitas, ut dum etiam à
complexu licto maritali abstinet, mirabili modo
etiam gentis numerositate Ecclesiam multipliceat.

De Medijs ad Castitatē corpori applicandis.

CAPVT XIV.



VNC instrumenta sunt explicanda,
quæ utilia esse possunt, ut castitatis
perfectionem, cuiusque praemium ob-
tineamus. Omnis enim virtus, Dei do-
num est, licet misericorditer prerogata
rum, nō tamen cooperationem nostrâ excludet, qua
ad ipsum suscipiendum præparemur, & quasi hospi-
ti virtuti, virtute dignū offeramus. Castitas autem

virtus

*Osea 9.
11.*

*Gen. 49.
25.*

*Ambr. li.
de bene-
dict. Pa-
triarch.*